



I. N. S. S. T.

## Proœmium.

**V**ia in plurimis conditionibus affectus nostri considerandi, scilicet obesitatis, nihil vituperabile deprehenditur, frustranea ferè nostra opera & sollicitudo medica videtur circa contemplationem illius occupata. Ratione initii quippe vel principiorum culpari ne utiqvam merentur cibi boni & nutritioni inservientes; porrò bona digestio vel coctio ventriculi naturæ bonitatem sibi vindicat nec taxanda est; denique productum ex dictis principiis non infelix vel culpandum est: namque nutritionis vel sanguificationis effectus legitimus est plena & legitima partium constitutio atque pingvedo, quæ naturalem constitutionem non excedens, reatu quoque non facile laborat. Flos ille nutritionis, scilicet pingvedo, decumanam laudem in sacris non solum, sed etiam in profanis literis passim sortitur: sic in sacris admodum frequens est pingvedinis vel pingvis tropica significatio, dum pro bono, felici, læto, fertili, vegeto, diviti, abundante, benedicto, grato, amœno, florido, perfecto, sano atque integro rerum creaturarum statu accipitur vel ponitur, de quo *Matth. Flacius in Clav. scriptur. sacr. sub voce pingvis, p. m. 916.* De simili interpretatione vocis pingvedinis & pingvis agit etiam *Sal: in Glassius Rhetor. Sacr. tr. 1. c. 11. p. 315.* ubi etiam addit autor hæc; Sicuti obesitas & pingvedo refractaria facit animalia: ita potentia rebelles & impios, ut occallescant & obturentur. Pingvedo non solum refractaria facit animalia, sed & sensus est expers. Sic etiam gladius impingvatus adipe occisorum dicitur pro saturata ultione. Conferatur etiam de varia ejusmodi significatione pingvedinis, quam de voce **בָּרָא** exponit *Gottofr. Wegnerus*